

Supremum Signaturæ Apostolicæ Tribunal

Sententia definitiva

Prot. N. 18707/86 CA

N.

Iurium

(Rev. [X] - Administratio Patrimonii Sedis Apostolicæ)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAOLO II feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suæ Anno XII, die 16 decembris 1989, Supremum Signaturæ Apostolicæ Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis PP. DD. Achille Silvestrini, Præfecto, Petro Palazzini, *Ponente*, Opilio Rossi, Rogério Etchegaray, Aloysio Dadaglio, Eduardo Gagnon, Alfonso M. Stickler, in causa N., inter recurrentem, Rev.dum [X], repræsentatum per Procuratorem-Advocatum, Cl.mum Marium Tricerri, et resistentem Administrationem Patrimonii Sedis Apostolicæ, repræsentatum per Procuratorem-Advocatum, Cl.mum Ludovicum Valletta, interveniente in causa Rev.mo P. Velasio De Paolis, C.S., Promotore Iustitiæ deputato, hanc tulit sententiam definitivam.

1. – **Facti species.** – Rev.dus [X], [V] Dioecesis, a die 1 novembris 1956 munus exercuit professoris artis musicæ apud Pontificium Collegium [Y] tunc [C]. Abolito hoc munere docendi apud Collegium, petivit et obtinuit ut ad Pontificium Institutum [Z] tamquam extraordinarius professor transferretur die 1 februarii 1976. In officio isto Rev.do [X] tributum est stipendium primæ nominationis, ignoratis ad omnes effectus annis transactis in Pontificio Collegio [Y].

Rev.dus [X] non acquievit et plures instantias apud varias se-

des, etiam iudiciales, fecit. Tandem ad Em.mum Cardinalem [F], tamquam Præsidem Commissionis pro Administratione Patrimonii Sedis Apostolicæ, die 27 iulii 1982 recurrit, formaliter quærens: «che si voglia: 1°) Pronunziare il diritto del Sac. [X] al riconoscimento dell'anzianità e della continuità di carriera a far inizio dal 1° novembre 1956, e conseguentemente – 2°) Disporre perché il suddetto Sac. [X] venga inquadrato nella 1ª Classe del 1° Gruppo del 2° Grado degli Officiali minori – 3°) Disporre perché al medesimo Sac. [X] vengano corrisposti tutti gli arretrati dello stipendio derivanti dagli sviluppi della carriera e da essi maturatisi, come sopra indicato ed in relazione agli scatti per legge operatisi dal 1.11.1956 ad oggi».

Quæstio diu protracta est quia paulo post nominationem, die 1 februarii 1976 factam, innotuit Rev.dum [X] munus professoris ordinarii gerere quoque apud “Conservatorio di W” N. exstantem et a Gubernio [G] pendentem. Exinde orta est quæstio de impossibilitate componendi duo munera magisterialia plene retributa: quæ quæstio diu exagitata est, pluribus exquisitis peritorum votis et quorundam officiorum Sanctæ Sedis sententiis rogatis. Plura, insuper, conamina compositionis facta sunt, quæ nullum positivum exitum habuerunt, stante tenaci recurrentis voluntate in suis iuribus vindicandis.

2. – Secretaria Status epistula diei 1 octobris 1986 cum Congregatione [A] communicavit conclusionem ad quam pervenerat Administratio Patrimonii Sedis Apostolicæ: «Questa Amministrazione, dopo aver presa visione di tutta la documentazione relativa al citato Professore etc. è del parere che al medesimo possano essere computati, ai fini della futura pensione, gli anni di servizio prestati presso la Congregazione [C], mantenendo lo stipendio finora percepito con tutte le regolamentari ritenute». Animadvertit Secretaria Status in eadem epistula diei 1 octobris 1986: «Da parte di questa Segreteria di Stato non vi sono obiezioni a che si proceda a tenore del parere espresso dalla competente Amministrazione, nel caso». Tandem, die 5 novembris 1986 Rev.dus [X] adversus præfatam decisionem huic Signaturæ Apostolicæ recursum exhibuit. In Congressu habito coram Em.mo Cardinali Præfecto huius Supremi Tribunalis die 12 octobris 1987, decretum est: «Recursum admittendum esse ad disceptationem. Omnia, tamen, conamina adhibeantur ad pacificam compositionem

controversiæ, quatenus possibile, inveniendam». Concesso partibus termino sexaginta dierum ad compositionem inveniendam, cum nihil obtentum fuerit intra terminos præfinitos, votis advocatorum sive publicæ administrationis sive recurrentis præhabitis, accedente voto pro rei veritate Promotoris Iustitiæ deputati, nunc respondendum est ad dubium: «An constet de violatione legis vel in decernendo vel in procedendo relate ad actum Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicæ de quo in litteris Secretariæ Status diei 1 octobris 1986».

3. – **In iure.** – Imprimis in memoriam revocandæ sunt leges peculiare sive quæ regunt iura et obligationes addictorum servitio Curia Romanæ in genere, sive quæ regunt nominationes professorum in specie. Vigebat tunc et viget etiam nunc apud Romanam Curiam sic dictum “Regolamento generale della Curia Romana”, approbatum a Sancto Patre Paulo VI in audientia die 22 februarii 1968 Em.mo Cardinali Ioanni Villot concessa. In articolo 22, § 1, legitur: «Gli Officiali minori, previo accordo dei rispettivi Cardinali Preposti, possono essere trasferiti da un Dicastero ad un altro, con grado non inferiore». In articolo 3, § 3, determinantur gradus et classes officialium minorum.

Et in articolo 40 habetur: «È vietato agli Officiali ed ai subalterni: ... 6) di conservare od assumere impieghi, anche privati, o incarichi, sia pure di carattere ecclesiastico, incompatibili con il lavoro di ufficio, senza la espressa autorizzazione del Cardinale Preposto; ...».

Quoad recognitionem servitii præstiti apud præcedentem Administrationem in casu translationis in “Regolamento per le pensioni del personale ecclesiastico e laico civile” in articolo 27, §§ 1-2, præscribitur: «In caso di trasferimento di un dipendente da un Dicastero ad altro Dicastero o da uno di questi al Governatorato della Città dei Vaticano, o viceversa, non sarà corrisposta al dipendente alcuna pensione, indennità o premio per il servizio prestato presso l’ufficio di provenienza, ma gli sarà riconosciuta, a tutti gli effetti, l’anzianità maturata all’atto del trasferimento. Tale riconoscimento è subordinato al versamento da parte dell’Amministrazione di provenienza di un importo pari al dieci per cento dell’ultimo stipendio pensionabile del dipendente, moltiplicato per il periodo che gli deve essere riconosciuto».

4. – Professores sunt ordinarii et extraordinarii; iis adduntur delegati, italice, “incaricati”: ita legitur in Statutis Pontificii Instituti [Z], in articulo 27 tituli tertii, in editione anni 1936, approbata a Sancto Patre Pio XI in audientia Cardinali Caietano Bisleti concessa die 22 novembris 1936. Ita pariter habetur in editione Statutorum anni 1980 («riveduti secondo le ultime disposizioni della S. Sede»). Tantum professores ordinarii et extraordinarii sunt “in ruolo”. Non habetur amplius classis professorum, qui appellantur “stabiles”. In stabilitate constituti sunt tantum professores ordinarii (plene stabiles) et extraordinarii (minus plene). Professores sic dicti “incaricati” eliguntur ad annum; renovari possunt; sed etiam dimitti. Et retributio habetur iuxta numerum horarum lectionum. Sed remuneratio et stabilitas apud Sanctam Sedem haberi potest ex alio titulo, puta e translatione facta ab alio Sanctæ Sedis officio in quo translatus stabilis erat.

5. – **In facto.** – Tranlatio Rev.di [X] a munere artis musicæ docentis apud Pontificium Collegium [Y] ad munus docendi apud Pontificium Institutum [Z] est vera translatio. Quæ translatio apud Romanam Curiam prævidetur «previo accordo dei rispettivi Cardinali Preposti»; attamen non prohibetur quominus petatur ab Officiali interesse habente. Speciatim quando petitur, prout in casu, ab Officiali qui novam collocationem exspectat, cum pristina laboris ratio evanuerit.

Ceterum, semper in casu, nominatio et translatio facta est urgentibus et instantibus Exc.mo, nunc Em.mo [H], necnon Em.mo [K], qui ambo tunc Superiores Rev.di [X] erant. Quapropter translatio *per se* plene legitima dicenda est. Hoc secumferebat quod translatio fieret «con grado non inferiore» ad illum gradum quem recurrens habebat apud Administrationem Congregationis [C], firmis omnibus iuribus iam acquisitis. Quæ iura bene determinantur in articulo 27, supra allato, legis peculiaris seu “Regolamento per le pensioni...” respiciente «l’anzianità maturata all’atto del trasferimento» ad omnes effectus. In hoc plene concordat etiam votum expressum ab “Ufficio per i rapporti con il Personale della Santa Sede” diei 15 iunii 1988. Unica condicio, ut diuturnitas in officio agnoscat, est solutio cuiusdam pecuniæ summæ «pari al dieci per cento dell’ultimo stipendio pensionabile del dipendente, moltiplicato per il periodo che gli deve

essere riconosciuto» ex parte Officii – in casu, Congregationis – a quo officialis translatus fuerit. Quæ solutio in casu facta est.

Ex epistula advocati recurrentis diei 25 aprilis 1988 evincitur Rev.dum [X], momento translationis, attigisse apud Collegium [Y] de [C] hunc gradum: «Officiale Minore di 2° grado ... 2ª classe = Addetto di Segreteria». Patres in determinando gradu et classe præ oculis habent “Regolamento generale della Curia Romana” diei 22 februarii 1968, articolo 3, § 3, cui standum est.

Recurrens, vero, momento, quo translatus et nominatus est apud Pontificium Institutum [Z] (pendens in re pecuniaria a Pontificia Commissione pro Administratione Sedis Apostolicæ), immissus est in hunc gradum et classem: «Officiale minore di 3° grado, 2ª classe». Lex habetur clara in casu: translatio officialis ab uno ad alterum Dicasterium Sanctæ Sedis fieri debet «con grado non inferiore» (“Regolamento generale della Curia Romana”, art. 22, § 1). Insuper, quoad casum translationis officialis, legitur in «Regolamento per le pensioni del personale ecclesiastico» diei 23 decembris 1963 (art. 27) «... gli sarà riconosciuta, a tutti gli effetti, l’anzianità maturata all’atto del trasferimento».

6. – His præmissis et consideratis, patet legis violatio in decernendo, potius quam in procedendo. Sermo enim fieri nequit de violatione legis in procedendo, quatenus stricta procedura non habetur in nominationibus faciendis, salva lege concursus, cum per hanc viam proceditur (cf. “Regolamento generale della Curia Romana”, art. 7, § 4).

Quapropter agnoscitur recurrenti ius ad diuturnitatem in officio a die 1 novembris 1956 quoad pensionem necnon ius ad gradum et classem prius habitam, non vero ad immissionem «nella prima classe del 1° gruppo del 2° grado degli Officiali minori», quia a die 1 novembris 1956 usque ad diem 31 ianuarii 1976 recurrens nullam habuit promotionem, nec ipse quæsivit a præcedentibus Superioribus. Ideo, præter ius servandi eundem gradum et classem, ingrediendo in novum officium, nullum aliud ius recurrens vindicare sibi potest.

Ceterum lex expresse determinat: «A tenore del n. 4 della Costituzione “Regimini Ecclesiæ Universæ”, nessun Officiale può avanzare diritti per la promozione alla classe o grado superiore» (“Regolamento generale della Curia Romana”, art. 20, § 3).

7. – Quoad vero nominationem recurrentis apud Pontificium Institutum [Z] examinandum manet utrum ipse valide professor extraordinarius nominatus sit, necne.

Quoad professores in Universitatibus vel in Institutis Pontificiis nonnumquam verificabantur casus cuiusdam vel quorundam Professorum assumptorum qui iam docebant in Universitatibus civilibus uti Ordinarii. Ponebatur quæstio de convenientia vel minus duorum munerum. Sæpe solvebatur quæstio committendo iis professoribus, alicubi Ordinariis, simplex munus docendi tamquam, vulgari-ter loquendo, “incaricato”.

Sed non defuerunt exceptiones, quibus tamen auctoritas ecclesiastica non favebat; immo contrariam mentem ostendit, iuxta aliquos, etiam in art. 40, 6°, “Regolamento generale della Curia Romana”, ubi prohibetur «di conservare od assumere impieghi, anche privati o incarichi, sia pure di carattere ecclesiastico, incompatibili con il lavoro di ufficio, senza la espressa autorizzazione del Cardinale Preposto». Cum tamen alii aliter explicarent præfatum art. 40, 6°, relate ad munus Professorum, Congregatio [A] expresse declaravit incompatibilitatem duorum Ordinariatuum, etiamsi alter in Universitate ecclesiastica, alter in Universitate civili habeatur. Hæc norma, autem, promulgata die 25 martii 1976, vigere coepit tantum a die 30 octobris 1976. E contra Rev.dus [X] nominatus fuit die 1 februarii 1976. Lex, vero, non respicit retro, nisi nominatim de præteritis caveatur (cf. can. 9).

Auctoritas competens vero scire debuisset integram conditionem candidati cathedræ momento nominationis. Candidatus, e contra, modo æquivoco suam conditionem exposuit. Etenim recurrens, in curriculo vitæ a se subscripto et die 27 octobris 1975 Congregationi [A] exhibito, dum apud “Conservatorio di Musica P de M” apud Pontificium Institutum de [C] se docere declaravit, e contra se tantum *docuisse* apud “Associazione [G] di W” edixit.

Habetur ideo vitium subreptionis (cf. can. 63, § 1) in precibus Rev.di [X] ad obtinendum munus Professoris extraordinarii apud Pontificium Institutum [Z]. Auctoritas competens per hanc subreptionem in errorem inducta erat et quidem in errorem qui recidit in conditionem *sine qua non*. Illo tempore enim Congregatio vigilantior facta erat ad indebitum cumulum munerum evitandum, et iam præparavit declarationem ad rem. Id evincitur etiam ex modo agendi Congrega-

tionis [A], quæ, statim ac edocta facta est de duplici cathedra, institit, una cum Secretaria Status et cum Administratione Patrimonii Sedis Apostolicæ, ut recurrens eligeret inter duas cathedras, nempe inter Pontificium Institutum [Z] et sic dictum “Conservatorio di W”, ita ut, si eligeret prædictum “Conservatorio”, in Pontificio Instituto [Z] maneret tantum tamquam “incaricato”, «sulla base di un compenso forfettario mensile, rapportato al numero delle ore di effettivo insegnamento, senza tredicesima, senza pensione, senza FAS, ma con liquidazione al termine dei servizio, previa la normale ritenuta» (Epistula Exc.mi Substituti Secretarii Status, die 30 octobris 1976).

Attentis proinde cann. 63, § 1, et 126, nominatio recurrentis ad munus professoris extraordinarii apud Pontificium Institutum [Z] nulla habenda est.

8. – Neque dicatur quod in casu condicio recurrentis verificatur in pluribus Professoribus qui docent in prædicto Pontificio Instituto. Etenim adducere inconueniens non est solvere argumentum. Insuper, uti iam dictum est, recurrentis nominatio facta est momento quo competens auctoritas vigilantior facta erat, ut instaret in explicitius denuncianda repugnancia, quæ habetur inter duo munera docendi plene retributa. Ideo statim ac plene conscia facta est de casu, nominationem impugnavit.

Neque invocetur æquitas. Etenim recurrens, præter stipendia tamquam Professor, aliis adiutoriis fruitur: «È Direttore della Cappella Musicale di [Q] (con compenso forfettario); è Direttore del coro con orchestra [S] (sovvenzionato dalla Regione); è beneficiario della Basilica di [L] (con relativa rendita mensile)».

9. – De facto tamen in casu habetur continuatio laboris recurrentis apud aliquod officium Sanctæ Sedis. Inde recurrens consequitur ius ad gradum “non inferiore” quam illum iam consecutum apud officium a quo, necnon «l’anzianità maturata all’atto del trasferimento».

Quare recurrenti servanda sunt: ius ex diuturnitate in officio a die 1 novembris 1956 («l’anzianità maturata all’atto dei trasferimento»); ius ad gradum et ad classem prius habitam in officio a quo («diritto a mantenere il grado e la classe raggiunti nel primo officio»); ius ad stipendium correlativum (“adetto di seconda classe”). Nulla eidem agnoscuntur iura provenientia a munere professoris extraordi-

narii, attenta, prout diximus, invaliditate nominationis. Cum autem de facto servitium docendi praestitum et pluries renovatum fuerit, recurrens uti “incaricato” habendus est.

10. – Quibus omnibus tum in iure tum in facto mature perpen-
sis, Collegium Em.morum Patrum Cardinalium, pro tribunali sedens
ac solum Deum pra oculis habens, Christi nomine invocato, circa
propositum recursum respondendum censuit uti respondet:

**Non constare de violatione legis in procedendo; constare
vero de violatione legis in decernendo relate ad actum Admini-
strationis Patrimonii Sedis Apostolicae de quo in litteris Secre-
tariae Status diei 1 octobris 1986, sed solummodo quoad iura,
quae ex translatione derivant, non vero quoad ea, quae ex nomi-
natione in Professore Extraordinarium proveniunt.**

Haec sententia definitiva ab iis ad quos spectat executioni
mandetur. Onus computationis in concreto faciendae, relate quoque
ad praeterita, ad organum competens, nempe ad Administrationem
Patrimonii Sedis Apostolicae, pertinet.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribuna-
lis, die 16 decembris 1989.

Achilles Card. SILVESTRINI, Praefectus
Petrus Card. PALAZZINI, Ponens
Opilius Card. ROSSI
Rogerius Card. ETCHEGARAY
Aloysius Card. DADAGLIO
Eduardus Card. GAGNON
Alphonsus Card. STICKLER

Die 2 martii 1990
Notificetur.

Zenon GROCHOLEWSKI, Secretarius